An. et vol. XXXVI 23 Februarii 1944 (Ser. II, v. XI) – Num. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Litterae decretales, p. 33 – Constitutiones Apostolicae, p. 41 – Chirographus, p. 45.

Acta SS. Congregationum: *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Notificatio, p. 47 – *S. C. Rituum*: Decreta, p. 58.

Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio, pp. 61-64.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLIV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4,50 extra Italiam, *L. it.* 5 —

«*Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur*» (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXVI, n. 2 - 23 Februarii 1944)

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

PAG.

Maxima inter munera. - Beata Margarita Virgo, e regia Arpadensium hungarica familia, Ordinis S. Dominici Monialis, Sanctorum catalogo adscribitur. - *19 Novembris 1943* . . 33

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *Zuliensis* (De Machiques). - A Dioecesi Zuliensi in Venezuelana Republica, territorii pars seiungitur, ex qua novus erigitur Vicariatus Apostolicus « de Machiques ». - *26 Maii 1943* . 41

II. *Piurensis.* - In cathedrali templo Piurensis Dioecesis Canonicorum Capitulum erigitur. - *5 Iunii 1943* . . 42

CHIROGRAPHUS

De regimine Instituti Caritatis Religionisque Operibus tutandis, in Civitate Vaticana conditi. - *24 Ianuarii 1944* 45

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

PAG.

Notificatio. Preces et pia opera indulgentiis ditata in favorem christifidelium rituum orientalium. - *10 Augusti 1943* 47

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Sancti Deodati seu Nanceien.* - Decretum de « Tuto » pro beatificatione Ven. Servae Dei Mariae Teresiae a Iesu, in saeculo Alexiae Le Clerc, fundatricis Canonissarum Regularium S. Augustini Congregationis Nostrae Dominae. - *20 Iunii 1943* . 58

II. Decretum de Sacris Oleis. - *28 Ianuarii 1944* 60

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Segreteria di Stato: *Nomine* e *Onorificenze* 61

II. Necrologio 64

An. et vol. XXXVI 23 Februarii 1944 (Ser. II, v. XI) – Num. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

BEATA MARGARITA VIRGO, E REGIA ARPADENSIUM HUNGARICA FAMILIA, ORDINIS S. DOMINICI MONIALIS, SANCTORUM CATALOGO ADSCRIBITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Maxima inter munera, quae ex Apostolico ministerio, Nobis, licet immeritis, divinitus commisso, obire satagimus, nullum sane gravius, nullum est dulcius, nullum quod maius inter multiplices quibus nunc premimur curas et anxietates Nobis afferat solacium, quam supremos sacri cultus honores iis decernere fidelibus, qui, dum viverent, omni virtutum genere ad perfectionis usque gradum emicuerint, miraculorum ab omnipotenti Deo ipsorum intercessione, potissimum post eorum obitum, patratorum gloria fulserint, et constantem sanctitudinis famam merito adepti sint. Quod quidem Romani Pontifices, divino afflante Spiritu, ad nostra usque tempora, toto catholico orbe plaudente, eo maiori sollicitudine ac frequentia praestiterunt, quo numerosioribus apud Deum intercessoribus praeclarisque virtutum exemplis christiana plebs indigere videretur.

Quos inter iure meritoque accensendam modo duximus Beatam Virginem illam, catholicae Hungaricae gentis decus, Margaritam, Belae Quarti Regis filiam, incliti S. Dominici Ordinis monialem, quae, cum

in antiqua cultus possessione exsistat, et de cuius heroicis virtutibus et de miraculis constans sit historicorum fide dignorum communis assertio et continuata prodigiorum fama non deficiat, digna sane videtur, quam Nos, etsi non per formalem et suetam sollemnem canonizationem, suprema tamen sententia Nostra declaremus Sanctam esse, et in Sanctorum album adscribendam decernamus. E regia Arpadensium Hungarica familia, quae sola uno eodemque tertio decimo saeculo quatuor quidem alias praeclaras vitae sanctitate feminas Ecclesiae Dei genuit, videlicet S. Elisabeth, a fel. rec. Gregorio Nono, Decessore Nostro, anno millesimo ducentesimo trigesimo quinto inter Sanctos relatam, B. Agnetem Pragensem, eius sobrinam, et Belae Quarti Regis filias, Cunecundem et Iolentam, quarum cultus ab Apostolica Sede confirmatus est, originem duxit Margarita. Anno circiter millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, cum Tartari, Battho duce, Poloniam et Pannoniam ferro ignique vastarent, et Hungaria, tot christifidelium sanguine irrorata, eorum ferissimas pateretur vastationes, ex piis parentibus Bela Quarto, Hungarorum Rege, et Maria Lascaris Regina, Dalmata receptis arce, nata est Beata Margarita. Conceptam prolem genitores pro regni liberatione suaque salute, quasi piaculum quoddam, si filia nasceretur, eam Deo consecrarunt; eorumque preces et vota exaudita sunt; nam, pacatis repente omnibus, Budam ipsi una cum recens nata Margarita remigrare potuerunt. Eam, avito regno tutelarem e materno sinu factam, parens optima, promissi et beneficii memor, ad Vesprimiense sanctimonialium monasterium S. Catharinae Virginis et Martyris « Ordinis S. Dominici » ante annum aetatis quartum deduxit, ut ab ipsa iam tenera aetate regularibus imbueretur consuetudinibus et Deo aptius serviret. Crucis ibi discipula ex corde effecta, domumque regiam prorsus oblita, Margarita docili obedientique animo ita floruit, ut moniales tenerrima eam dilectione prosequerentur; atque, praeter aetatem, angelicam in Iesum Christum ac Deiparam Virginem pietatem colebat; ingenuos ostendit mores animique candorem; et illico promeruit ut Rex regum speciem eius concupisceret.

Vix quinque annos nata, una cum sororibus disciplinam recipere voluit, ieiunare et cilicium adhibere. Quare rex pater eius, Hungarica natione contra Tartarorum incursiones operibus munita, ut securius efficaciusque sibi suoque regno divinum auxilium conciliaret, in Danubii insula, quam olim *Leporum,* hodie S. Margaritae, appellant, ad Beatissimae Virginis Mariae honorem quoddam monasterium aedificavit, in quo nedum pias sacras virgines collocandas curavit, quae, veluti hostiae viventes, Deo soli se devoverent, eiusque ac Deiparae laudes canerent,

sed suam etiam filiam, Margaritam, *quam inter alios suos liberos eo teneriori amplexabatur affectu, quo certiora piae Deo placitae conversationis in ea primordia cernebat.*

Interim illa, quae sua fecisse visa est Apostoli verba: *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam,* honestis cuiusdam Poloniae Principis recusatis nuptiis, duodennis vota solemnia coram venerabili Magistro Ordinis Humberto nuncupavit. Adhuc autem ab Othocaro, Bohemiae Rege, serio expetita, ut suam Divino Sponso fidem datam totis viribus intactam servaret, ad illam et quamvis aliam occasionem importunae sponsalium instantiae auferendam, se Christo palam desponsatam prodere voluit et sacrum capitis velamen enixe postulavit, et quarta decima die Iunii mensis, anno millesimo ducentesimo sexagesimo primo ab Archiepiscopo Strigoniensi, adstantibus quoque Episcopis Waciensi et Nitriensi, nec non plurimis ecclesiasticis viris, ad S. Elisabeth amitae suae aram, maximo cum gaudio, obtinuit. Virginum Sponso ita consecrata, mundi suique contemptu, et carnis maceratione, Regi ipsi Martyrum impigre studuit assimilari. Deterrimis semper amicta vestibus, abiectisque muneribus inhians, verrere domum, sordes abstergere, parare cibos et gravi saepe pondere onerari in deliciis habuit. Aegrotis sororibus et ancillis ipsis, quarum aliquando morbo infici ceterae timerent, tali inserviebat caritate et abiectionis desiderio, ut gravia cuncta et infima officia erga ipsas sibi unice arrogaret.

Manus gelu et cubitos ac genua humi adhaesione tumescere et dilacerari nil reputans, attritum multo ieiunio corpus cilicio, flagris et insomni nocte, acriter divexabat, tum sextis maxime feriis ac pridie Christi Domini et Deiparae Virginis solemnitatum, tum diebus quindecim Paschali sacramento praeviis. Passionis item mysteria cum singultu recolebat et martyrii aestu flagrabat. Coram Christo Iesu velis eucharisticis abscondito, aut ad crucem depicto, libentius et ad multas quotidie horas, cor suum effundens, ubique tamen et fere sine intermissione orabat, praescriptae divinae laudi integrum non raro addens psalterium, ad Deum Patrem orationes, vel ad Paraclitum Spiritum, aut dilectissimae sibi Dei parenti Virgini salutationes. Virtutes omnes, theologales in primis, in gradu heroico, impenso studio excoluisse fertur et in earum exercitio ad mortem usque constanter perseverasse, ita ut maximo esset ceteris ad virtutem incitamento.

Margaritae virtus praefulsisse videtur acerrimi belli tempore, quod inter eius patrem Belam Quartum Regem fratremque Stephanum prop-

ter regni gubernationem et ad illud successionem ortum est et per quatuor circiter annos perduravit, in quo, *confuso omni ordine iustitiae et postposito Dei timore tam in praelatis quam in baronibus, multa millia innocentium absque iustitiae aequitate perierunt.*

Tam infausta calamitas Margaritae animum ita excruciavit, ut *lacrimae ipsi fuerint panis die ac nocte*: paternam enim prospiciebat familiam simultatibus ac discidio tam acriter dilaniatam, populum periclitantem sine sexus et aetatis discretione oppressum, sanctam quoque matrem Ecclesiam, non tantum in huius regni, sed in aliis etiam christianitatis partibus, tirannide conculcari et dilacerari, claustra et religiosorum loca absque habitatore desolari, divina omnia humanaque iura inique permisceri. Ut Omnipotentis Dei iram placaret suaeque genti divinam conciliaret clementiam, *uberius ipsa flebat suumque corpus macerabat ieiuniis, vestita cilicio, quasi omnium tam inique circa Deum agentium lugens peccata et oppressorum deflens calamitates totaque precibus apud Deum instabat, ut dextera suae potentiae, obstructis et refrenatis iniquorum potentiis, defenderet innocentes sanctamque matrem Ecclesiam, suo pretioso sanguine congregatam, Dominus Iesus Christus.*

Porro Margarita actionem suam non coërcuit tantum intra incensissimas ad Deum precationes et durissimam poenitentiam, verum etiam auctoritate aut dignitate insignito, patratam; quod effecit ut illa dubitavit apertissime exprobrare iniquitatem a quocumque, altissima etiam auctoritate aut dignitate insignito, patratam ; quod effecit ut illa patris regis iram in se converterit atque eius persecutionem quoque, blanditiis prius spretis, pati debuerit; quam autem ipsa minime metuit et impavida tulit, quin opus suum intermitteret humanam pravitatem reprobandi simulque adversariorum animos pacificandi.

Eius preces abundantissime ad Deum effusae, cum virginei sui corporis maceratione coniunctae, ab Altissimo tandem exauditae sunt, patrem inter et fratrem pace restituta, quae in *Leporum* insula, in ipso monasterio a Margarita sanctificato, solemniter sancita est anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto.

Ad magis magisque firmandam regni tranquillitatem Bela Rex familiam suam affinitate coniungendam censuit cum Carolo Andegavensi Comite, qui, anno ducentesimo sexagesimo sexto supra millesimum, Neapolis Rex factus est; ac propterea cum ipso filiae suae Margaritae nuptias proposuit, adiciens se a Clemente Papa Quarto a religionis votis pro ea facile obtenturum dispensationem. Margarita et hac tertia vice propositas nuptias illico recusavit, libere respondens servare velle vir-

ginitatem suam Domino Iesu Christo. Et Divinus hic Sponsus, fidelis semper et generosior, qui in famulae suae corde dulcem fecerat mansionem, eam supernis donis uberrime cumulavit, passionis suae sociam atque consolationis et potestatis consortem reddidit viventem pariter et post mortem.

Illa namque fertur vel a pueritia prophetizans, et inter sacra sensibus avocari solita, cordium arcana cognovisse, sanationes et prodigia non pauca divina facultate perpetrasse.

Proximae tandem mortis praescia, ardenter petiit et, sicut desideraverat, pluries recepit extrema Ecclesiae sacramenta, quibus angelica pietate susceptis, in festo Sanctae Priscae, anno millesimo ducentesimo septuagesimo, lustris sex aetatis nondum expletis, diademati Christi innexa Margarita caelos intravit. Virgineum eius corpus futurae resurrectionis decus quoddam cum suavi fragrantia prae se ferens, solemni pompa sepulcro illatum, supplicantium morbis, uti refertur, medicina fuit: et multa prodigia narrantur et gratiae concessae, Dei Famulae intercessione invocata, usque ad praesens.

Nil ergo mirum est quod Margaritae nomen celeberrimum est in Hungarica regione, clarumque in aliis: terrenam namque patriam heroicarum virtutum suavitate, atque sanctitudinis lumine atque miraculorum fama ipsa illustravit; sed extra quoque patriae fines per inclitum praecipue Praedicatorum Ordinem, qui singulari se Beatae protectione auctum gloriatur, nomen illud gloriosum evasit sive legendis, quae de Margarita uti de sancta statim post eius obitum evulgatae sunt, sive maxime ex processu apostolica auctoritate sex post annos a regiae Virginis morte constructo, in quo saepe saepius *Beatae* vel *Sanctae* titulus a testibus Margaritae tribuitur, ab ecclesiastica, suprema quoque, auctoritate sancitus.

Cultus autem huic Dei Famulae exhibitus, statim post pretiosum eius obitum inceptus, novo semper lumine coruscans, ad nostra usque tempora pervenit. Etenim luce clarius eruitur tum ex biographicis historiis, variis linguis concinnatis; tum ex monumentis; quae inter pretiosum pallium exstat ab Elisabeth, Hungariae Regina, uti fertur, Nostrae Basilicae S. Petri anno millesimo trecentesimo quadragesimo tertio donatum, in quo, una cum B. Virginis Mariae, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, quatuor Hungaricae regiae familiae Sanctorum imaginibus, Margaritae quoque filiae Regis Hungariae conspiciebatur imago, cui quoque *Sanctae* titulus tribuebatur; tum ex fidelium veneratione erga Famulae Dei sepulcrum et reliquias; tum ex pluribus Beatae depictis imaginibus, decurrente aetate auctis, quibus publicus venerationis cul-

tus exhibetur; tum ex festivitate, in qua Beatae memoriam Hungaricus populus recolit eique suam exhibet ardentem devotionem.

Eruitur potissimum ex facultate ab Apostolica Sede concessa officium recitandi et Missam celebrandi de Beata illa Virgine, primum Transilvaniensi Dioecesi a Decessore Nostro Pio papa Sexto anno millesimo septigentesimo octogesimo nono; quam facultatem Pius Papa Septimus universo Praedicatorum Ordini extendit anno millesimo octingentesimo quarto; quare Beatae festum prima vice ab eodem Ordine in hac ipsa Nostra Urbe, in Basilica S. Mariae supra Minervam, vicesima sexta die Ianuarii mensis, anno insequenti magna cum pompa celebratum est.

Quum itaque ad Beatae Margaritae aequipollentem canonizationem decernendam, iuxta sapientissimi Praedecessoris Nostri, Benedicti Papae XIV, normas, requisitae condiciones concurrere viderentur, dilectus Filius Noster Iustinianus S. R. E. Cardinalis Serédi, Princeps Primas Hungariae et Archiepiscopus Strigoniensis, omnium etiam nomine Hungariae Antistitum, dilecti Filii Hungarici Regni Moderatores et Principes ac tota fere Hungarorum Natio, una cum Ordinis Praedicatorum Magistro Generali, et innumeris catholici orbis Cardinalibus, Episcopis et religiosis familiis, supplicia vota Nobis porrexerunt, instantissime postulantes ut de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine Beatam Margaritam Virginem Sanctorum albo adscribere dignemur.

Nos igitur, haec vota benigne excipientes, Sacrae Rituum Congregationi rem plene cognoscendam expediendamque lubentissime commisimus, eo vel magis quia vota ipsa Nostro etiam voto quam maxime respondere vidimus, quod in magnifica Congressione Eucharistica Internationali trigesimaquarta Budae celebrata, cuius gratissima nunquam ex animo Nostro memoria discedet, Nos, tunc Legatus a Latere fel. rec. Pii Papae Undecimi, ex corde promere voluimus.

Sacra itaque Rituum Congregatio per Sectionem Historicam documenta omnia, a dilecto Filio Benedicto Lenzetti, Ord. Praedicatorum Postulatore Generali ac sedulissimo huius Causae Procuratore, allata, ad criticae scientiae normas, ea qua par est diligentia cribravit, eademque probandi vi pollere declaravit; nec non de Beatae Margaritae vita, deque eius sanctitatis, miraculorum fama ac publico et liturgico cultu per saeculorum decursum amplissime investigavit et comprobavit.

Quibus praehabitis, in eiusdem S. Congregationis comitiis die tertia decima Iulii mensis huius anni, venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales eidem Sacrae Congregationi illi praepositi, audita dilecti Filii Nostri Raphaëlis Caroli eiusdem S. R. E. Cardinalis Rossi, Cau-

sae Ponentis, relatione, qua amplissime ostendit constare de Beatae Margaritae vitae sanctitate, de virtutibus ab eadem in heroico gradu exercitis, quarum praecipue caritas, precandi studium et arctissima poenitentia enituere, de cultu sive a populo ab obitus die ad nostra usque tempora eidem Beatae exhibito, sive etiam liturgico ab Apostolica Sede indulto, nec non de miraculorum fama, qua Ipsa honestatur; auditis quoque Officialium eiusdem S. Congregationis Praelatorum votis, omnibus mature perpensis et discussis, pro oblatis precibus excipiendis Nobis proponendum censuerunt.

Nos autem die tertia et vicesima insequenti, de his omnibus relatione Nobis facta per venerabilem Fratrem Nostrum Carolum S. R. E. Cardinalem Salotti, Episcopum Praenestinum et Sacrorum Rituum Congregationis Praefectum, Sacrae eiusdem Congregationis sententiam lubenti animo excipiendam duximus. Omnibus itaque mature perpensis, certa scientia, de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, tenore praesentium, solemniter edicimus: *Beatam Margaritam Virginem, e regia Arpadensium familia, Ordinis S. Dominici Monialem, Sanctam esse et Sanctorum catalogo adscribendam, statuentes in Martyrologio Romano illius memoriam quotannis die eius natali, nempe duodevicesima Ianuarii mensis, inter Sanctas Virgines pia devotione recoli debere.*

Ita igitur novensilis huius Sanctae a Nobis consecrata memoria, profecto fore confidimus ut Ipsa, Sancti Protoregis et Apostoli Stephani familiae, tot tantisque fecundae Sanctis, soboles, suam apud Deum propitiatricis hostiae missionem resumat, non pro dilectissima sibi patria tantum, quae merito catholicae fidei et christiani nominis propugnaculum habetur, sed et pro cunctis nationibus tam acriter adhuc inter se conflictantibus; et tranquillitatem ac pacem, in iustitia et caritate Christi firmiter fundatam, a pientissimo Domino, *Patre misericordiarum et Deo totius consolationis,* humano generi, suavissimo Evangelii iugo subducto, assiduis suis potentibusque assequatur precibus.

Omnibus itaque, quae inspicienda erant, bene perpensis, certa scientia, Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula quae supra diximus confirmamus, roboramus, denuo statuimus ac praecipimus, universaeque catholicae Ecclesiae denunciamus.

Harum vero Litterarum Decretalium, quas duplici originali expediri iubemus, transumptis sive excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Si quis autem has Litteras declarationis, decreti, mandati et volun-

tatis Nostrae infringere vel ausu temerario eis contraire aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo tertio, die decima nona Novembris mensis, in festo S. Elisabeth, Pontificatus Nostri anno quinto.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

ALOYSIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status.

CAROLUS Card. SALOTTI
S. R. C. Praefectus.

Vincentius Bianchi Cagliesi,
Cancellariae Apost. Regens.

Ioseph Wilpert, *Decanus Prot. Apost.*
Alfonsus Carinci, *Prot. Apost.*

Can. Alfridus Liberati, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*
Georgius Stara Tedde, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA

die quartadecima Ianuarii, anno quinto
Alfridus Marini, *Plumbator.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXVII, n. 85 – Al. Trussardi, *a tabulario.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

ZULIENSIS
(DE MACHIQUES)

A DIOECESI ZULIENSI, IN VENEZUELANA REPUBLICA, TERRITORII PARS SEIUNGITUR, EX QUA NOVUS ERIGITUR VICARIATUS APOSTOLICUS « DE MACHIQUES ».

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Zuliensis Dioeceseos, in Venezuela, territorium tam late patere videtur, ut dominicus grex ab uno vel diligentissimo Pastore vix regi et a diocesano clero uti par est excoli possit. Quare peropportunum visum est a dioecesi illa territorii partem seiungi et novam ibidem constitui Missionem alteri Pastori aliisque Evangelii praeconibus concredendam. Suppleto itaque, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, praehabito Sacrae Congregationis Consistorialis, sub cuius iurisdictione dioecesis illa exstat, favorabili voto, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a dioeceseos Zuliensis territorio seiungimus *Paez* districtum, septemtrionalem districtus *Mara* partem, *Perijà* districtum et partem septemtrionalem *Colon* districtus, iuxta fines iam statutos, quos tamen venerabilis Frater Ioseph Misuraca, Archiepiscopus titularis Caesariensis in Cappadocia et apud Venezuelanam Rempublicam Nuntius Apostolicus, definitive describet. Quod territorium, ita seiunctum et terminatum, in novum erigimus et constituimus Vicariatum Apostolicum, de *Machiques* nuncupandum, illumque sollertibus Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum curis, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum, committimus. Novo igitur huic Vicariatui de Machiques eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse vo-

lumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur, si exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo tertio, die sexta et vicesima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno quinto.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXVII, n. 45. - Al. Trussardi.

II

PIURENSIS

IN CATHEDRALI TEMPLO PIURENSIS DIOECESIS CANONICORUM CAPITULUM ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo sollemnior in cathedralibus ecclesiis cultus Deo exhibeatur et Sacrorum Antistites suum habeant ecclesiasticorum virorum senatum, qui se in dioecesium regimine consilio et opera adiuvent et, sede vacante, suas vices gerant, Canonicorum Capitula constituere sacri canones sapienter praescribunt. Quod quidem prae oculis habentes, lubenti animo excipiendas duximus venerabilis Fratris Fortunati Chirichigno, Dioecesis Piurensis Episcopi, preces, quibus ab hac Apostolica Sede expostulavit ut in sua cathedrali ecclesia Canonicorum Capitulum rite con-

stituatur. Quapropter, attento venerabilis Fratris Fernandi Cento, Archiepiscopi titularis Seleuciensis pierii et in Peruviana Republica Nuntii Apostolici, favorabili voto, suppleto quoque, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum, qui sua interesse praesumant, consensu, certa scientia et apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, in cathedrali templo dioecesis Piurensis, Deo in honorem S. Michaëlis Archangeli dicato, Canonicorum Capitulum tenore praesentium erigimus et constituimus, eique omnia tribuimus iura et privilegia, quibus cetera Cathedralia Capitula iure communi fruuntur et gaudent. Hoc autem Cathedrale Capitulum quatuor constabit Dignitatibus, nempe Decano, Archidiacono, Cantore, et Magistro scholae, atque sex Canonicis, quorum alteri theologi, alteri poenitentiarii officium iuxta canonem 398, § 1 Codicis Iuris Canonici committetur. Simul ac igitur hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, Consultores Dioecesani modo exsistentes a munere cessabunt. Canonicalem praebendam pro unoquoque beneficio constituet pecuniae vis, quae a Reipublicae Peruvianae Gubernio praestabitur. Quum vero in praesenti, attenta quoque proventuum exiguitate, presbyteros in Canonicos eligendos aliis ecclesiasticis muniis vel beneficiis vacare oporteat, (quod quidem illis, legi de vetita in eadem persona beneficiorum pluralitate derogantes, per easdem praesentes Litteras, concedimus) quousque haec rerum adiuncta perduraverint indulgemus ut chorale servitium diebus non festis praestetur tantum post meridiem et divini officii hae tantum recitentur partes, videlicet psalmodia Vesperarum et Completorii, nec non Matutini et Laudum diei sequentis, firma manente obligatione pro singulis Canonicis Horas minores privatim recitandi; diebus vero sollemnioribus, in capitularibus constitutionibus statuendis, illis divini officii partibus, uti supra persolvendis, mane addatur Missae conventualis celebratio. Volumus autem ut Dignitates et Canonicatus ad iuris communis normam in posterum conferantur; hac prima tamen vice Venerabili Fratri Episcopo Piurensi facultatem facimus nedum Canonicatus, sed et Dignitates libere conferendi iis quos dignos iudicaverit, firma vero obligatione fidei professionem et iuramentum contra modernistarum errores ad iuris praescripta emittendi. Quum insuper deceat illos, qui in Episcopi consilium ac senatum adsciscuntur, quibusdam insignibus et privilegiis condecorari, statuimus ut Dignitates et Canonici intra propriae Dioecesis fines dumtaxat et in functionibus capitularibus adhibeant rochetum cum flexibus nigris et palliolum, vulgo *mozetam,* nigram cum torulis, ocellis et globulis violaceis coloris. Volumus porro et mandamus ut quam primum fieri poterit Capitulares Constitutiones condantur,

quas, ab Episcopo rite adprobatas, ab omnibus postea Dignitatibus et Canonicis religiose servari iubemus. Ad quae omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Fernandum Cento, in Peruviana Republica Nuntium Apostolicum, delegamus, eique propterea omnes ad id necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto eidem onere ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar quamprimum transmittendi. Decernimus denique praesentes Litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac declaramus; contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus. Harum vero, Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, concessionis, statuti, commissionis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimotertio, die quinta Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno quinto.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Carolus Respighi, *Proton. Apost.*
Vincentius Bianchi Cagliesi, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXVII, n. 65. - Al. Trussardi.

CHIROGRAPHUS

DE REGIMINE INSTITUTI CARITATIS RELIGIONISQUE OPERIBUS TUTANDIS, IN CIVITATE VATICANA CONDITI.

PIUS PP. XII

Con Nostro Chirografo del 27 giugno 1942 abbiamo fondato ed eretto nella Città del Vaticano l'Istituto per le Opere di Religione, attribuendo ad esso la personalità giuridica e mantenendo in vigore per l'Istituto medesimo le disposizioni dello Statuto da Noi approvato nel 17 marzo 1941 per la preesistente Amministrazione delle Opere di Religione, in quanto tali disposizioni non fossero in contrasto con il ricordato Nostro Chirografo e fino a quando non apparisse opportuno di riformarle.

Essendo stato di recente chiamato al riposo eterno il Signor Cardinale Carlo Cremonesi, il quale con tanto zelo aveva tenuta la presidenza dell'Ufficio amministrativo prima dell'Amministrazione delle Opere di Religione e poi dell'Istituto da Noi eretto, e dovendosi ora procedere alla nomina del nuovo Presidente dell'Ufficio amministrativo dell'Istituto, abbiamo deciso di disporre, come con la Nostra Autorità disponiamo, quanto segue:

I. Presidente dell'Ufficio amministrativo dell'Istituto per le Opere di Religione è un Prelato, da nominarsi dalla Commissione Cardinalizia di vigilanza dell'Istituto medesimo. Egli esercita tutte le funzioni già spettanti al Cardinale Presidente dell'Ufficio anzidetto.

II. Il Segretario, il Sostituto, gli impiegati minori dell'Ufficio amministrativo ed i Consultori dell'Ufficio medesimo sono nominati dalla predetta Commissione Cardinalizia di vigilanza.

III. La stessa Commissione nomina due revisori ordinari, di provata perizia in materia, i quali debbono eseguire le verifiche periodiche, prescritte dallo Statuto, e fare la revisione amministrativa e finanziaria annuale, nonchè l'esame del bilancio consuntivo di ogni anno, con la relazione da presentarsi alla Commissione Cardinalizia. La Commissione medesima nominerà i periti ai quali eventualmente si volessero affidare ispezioni straordinarie.

IV. Segretario della Commissione Cardinalizia di vigilanza dell'Istituto per le Opere di Religione è il Prelato Presidente, il quale è pure *ponente,* cioè relatore delle materie inscritte all'ordine del giorno nelle adunanze della Commissione predetta.

V. Per tutti gli effetti giuridici l'Istituto è rappresentato congiuntamente dal Prelato Presidente dell'Ufficio amministrativo e dal Segretario dell'Ufficio medesimo.

VI. La Commissione Cardinalizia di vigilanza dell'Istituto redigerà e proporrà a Noi le modifiche allo Statuto 17 marzo 1941, che, per l'esecuzione del presente Nostro Chirografo, apparissero necessarie.

VII. Qualsiasi disposizione contraria al presente Nostro Chirografo è abrogata.

VIII. Il presente Nostro Chirografo sarà pubblicato negli *Acta Apostolicae Sedis*.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico Vaticano, il giorno 24 gennaio 1944, anno quinto del Nostro Pontificato.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

NOTIFICATIO

PRECES ET PIA OPERA INDULGENTIIS DITATA IN FAVOREM CHRISTIFIDELIUM RITUUM ORIENTALIUM.

Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali omnibus, quorum interest, notum facit Ssñum D. N. Pium div. prov. Pp. XII, in Audientia die 15 m. Maii a. 1943 Emo Cardinali Paenitentiario Maiori concessa. in favorem christifidelium rituum orientalium ubique locorum, ac in perpetuum, Indulgentiis ditasse orationes ac pia opera quae infra recensentur.

Orationes vero, lingua latina heic propositae, ex libris liturgicis ritus byzantini apud Ruthenos usitatis depromptae sunt : at eaedem Indulgentiae acquiri possunt etiamsi orationes recitentur alio textu vel lingua legitime in ritu byzantino admissis.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 10 mensis Augusti anno 1943.

E. Card. TISSERANT, *a Secretis.*

L. ✠ S.

† A. Arata, Archiep. tit. Sardian., *Adsessor.*

Preces ac pia opera

1

Gloria tibi, Deus noster, gloria tibi (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

2

Spes mea Pater, refugium meum Filius, praesidium meum Spiritus Sanctus; sancta Trinitas, gloria Tibi (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

3

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax: hominibus benevolentia. Laudamus te; benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine, rex caelestis, Deus Pater omnipotens. Domine, Fili unigenite Iesu Christe, et Spiritus Sancte. Domine Deus, Agnus Dei, Fili Patris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi, suscipe orationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, Iesu Christe, in gloria Dei Patris. Amen.

Indulgentia quingentorum dierum.

4

Dignare, Domine, hoc vespere sine peccato nos custodire. Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabile et gloriosum est nomen tuum in saecula. Amen.

Fiat, Domine, misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te. Benedictus es, Domine, doce nos mandata tua. Benedictus es, Dominator, fac nos intelligere mandata tua. Benedictus es, Sancte, illumina nos mandatis tuis.

Domine, misericordia tua in aeternum; opera manuum tuarum ne despicias. Te decet laus, te decet cantus, te decet gloria, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen (ex *Horologio*).

Indulgentia quingentorum dierum.

5

E somno surgentes, ad pedes tuos provolvimur, o bone, et Angelorum hymnum canimus tibi, o fortis: sanctus, sanctus, sanctus es, Deus; per intercessionem Angelorum tuorum miserere nostri.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

E lecto et e somno evigilasti me, Domine, intellectum meum illuminasti ac cor meum; et labia mea aperi ad cantandum tibi, Sancta Trinitas: sanctus, sanctus, sanctus es, Deus: per orationes omnium Sanctorum tuorum miserere nostri.

Et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Repente iudex veniet, et uniuscuiusque opera revelabuntur, sed prae

timore clamemus media in nocte : sanctus, sanctus, sanctus es, Deus; per orationes Dei Genitricis miserere nostri (ex *Horologio*).

Indulgentia quingentorum dierum.

Indulgentia plenaria, suetis conditionibus, si quotidie mane per integrum mensem pium exercitium fideles expleverint.

6

Dies transiit, gratias ago tibi, Domine; vesperum, quaeso, cum nocte sine peccato concede mihi, Salvator, et salva me.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Dies transiit, glorifico te, Dominator; vesperum, quaeso, cum nocte sine culpa concede mihi, Salvator, et salva me.

Et nunc, et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Dies transiit, hymnum dico tibi, Sancte; vesperum, quaeso cum nocte sine insidia concede mihi, Salvator, et salva me (ex *Horologio*).

Indulgentia quingentorum dierum.

Indulgentia plenaria, suetis conditionibus, si quotidie vespere per integrum mensem pium exercitium fideles expleverint.

7

Sanctissima Trinitas, miserere nostri; Domine, dele peccata nostra; Dominator, dimitte praevaricationes nostras; Sancte, visita et sana infirmitates nostras propter nomen tuum (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

8

Finem vitae nostrae christianum, absque dolore, absque improperio, pacificum, et bonum responsum ante tremendum tribunal Christi petimus (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

9

Domine, miserere (duodecies).

Indulgentia trecentorum dierum.

10

Miserere mei, Domine, miserere mei.

Indulgentia trecentorum dierum.

11

Deus, propitius esto nobis peccatoribus. Deus, dele peccata nostra et miserere nostri (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

Indulgentia septem annorum, si dicitur cum metanoeis.

12

Deus, propitius esto mihi peccatori. Deus, dele peccata mea et miserere mei. Sine numero peccavi, Domine, dimitte mihi (e *Triodio*).

Indulgentia trecentorum dierum.
Indulgentia septem annorum, si dicitur cum metanoeis.

13

Relaxa, dimitte, remitte, Deus, peccata nostra, voluntaria et involuntaria, quae verbo et opere, quae scienter et ignoranter, quae mente et cogitatione, quae die ac nocte commisimus; cuncta nobis dimitte, quoniam bonus es et amator hominum (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

14

Domine et Dominator vitae meae, spiritum incuriae, negligentiae, ambitionis et garrulitatis averte a me (*prostratio*).

Spiritum autem sapientiae et humilitatis, patientiae et amoris dona mihi servo tuo (*prostratio*).

O Domine Rex, da mihi ut videam mea peccata, neque iudicem fratrem meum, quia benedictus es in saecula saeculorum. Amen (*prostratio*). (ex *Horologio*).

Indulgentia quingentorum dierum.
Indulgentia septem annorum, si fiunt prostrationes.

15

Multitudinem eorum quae a me male gesta sunt recogitans, infelix timeo tremendum diem iudicii; sed misericordiae tuae miserationis confidens, sicut David exclamo ad te: Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam (e *Triodio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

16

Nobiscum Deus, intelligite, Gentes et subiectae estote, quia nobiscum Deus (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

17

Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, Domine (e *Psalterio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

18

Domine virtutum, esto nobiscum; neminem enim praeter te adiutorem in necessitatibus habemus; Domine virtutum, miserere nostri (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

19

Ne avertas faciem tuam a puero tuo; quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animae meae et libera eam (e *Psalterio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

20

Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel.

Indulgentia quingentorum dierum.

21

Christus surrexit a mortuis, morte sua mortem devincens, et in sepulcro iacentibus vitam donans (e *Pentecostario*).

Indulgentia trecentorum dierum.

22

Surgens Iesus de sepulcro, sicut praedixit, vitam aeternam et magnam misericordiam nobis dedit (ex *Octoecho*).

Indulgentia trecentorum dierum.

23

Salva nos, Fili Dei, qui in sanctis mirabilis es, cantantes tibi : alleluia.

Indulgentia trecentorum dierum.

24

Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. Memento mei, Dominator, cum veneris in regnum tuum. Memento mei, Sancte, cum veneris in regnum tuum (e *Liturgico*).

Indulgentia quingentorum dierum.

25

Domine Iesu Christe, Fili Dei, miserere mei peccatoris.

Indulgentia trecentorum dierum fidelibus qui sic dictam « orationem Iesu » his vel similibus verbis pie recitaverint.

26

Venite, adoremus regem nostrum Deum. Venite, adoremus Christum, regem nostrum Deum. Venite, adoremus Dominum Iesum Christum, regem et Deum nostrum (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

27

Lux placida sanctae gloriae immortalis, Patris coelestis, sancti, beati, Iesu Christe; pervenientes ad solis occasum, videntes lucem vespertinam, canimus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Deum. Dignus es qui omni tempore caneris vocibus venerabilibus, Fili Dei, qui vitam das universo mundo; quapropter universus mundus te glorificat (ex *Horologio*).

Indulgentia quingentorum dierum.

28

Coenae tuae mysticae hodie, Fili Dei, ut socium me suscipe; non enim inimicis tuis mysterium revelabo, neque osculum tibi dabo sicut Iudas, sed sicut latro confitebor tibi: memento mei, Domine, in regno tuo (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

29

Qui omni tempore et omni hora, in coelo et in terra adoraris et glorificaris, Deus bone, longanimis et valde misericors, qui iustos diligis et peccatorum misereris, qui omnes ad salutem vocas, propter promissionem futurorum bonorum, ipse, Domine, suscipe etiam nostras preces quas in hac hora fundimus, et dirige vitam nostram secundum mandata tua. Animas nostras sanctifica, corpora munda, cogitationes corrige, mentem redde prudentem ac sobriam, et libera nos ab omni pressura, malo ac dolore. Circumda nos sanctis angelis tuis, ut, eorum subsidio protecti ac deducti, ad unitatem fidei et ad cognitionem tuae inaccessibilis gloriae perveniamus, quoniam benedictus es in saecula saeculorum. Amen (ex *Horologio*).

Indulgentia septem annorum.

Indulgentia plenaria, suetis conditionibus, si quotidie per integrum mensem oratio recitata fuerit.

30

Crucem tuam adoramus, Domine, et resurrectionem tuam glorificamus (e *Triodio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

31

Fidelibus qui ad honorandum Iesum Christum e mortuis resurgentem, die festo Paschatis, Officio Matutini vel sacrae Liturgiae nocte vel mane devote adstiterint, conceditur:

Indulgentia decem annorum.

Indulgentia plenaria, si praeterea peccatorum veniam obtinuerint, ad eucharisticum Convivium accesserint et ad mentem Summi Pontificis preces fuderint.

32

Rex coelestis, Paraclite, Spiritus veritatis, ubicumque existens et omnia replens, thesaure bonorum et vitae donator, veni et inhabita in nobis, et munda nos ab omnibus inquinamentis, et salva, o bone, animas nostras (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

33

Sanctissima Dei Genitrix, salva nos.

Indulgentia trecentorum dierum.

34

Per intercessionem Dei Genitricis, Salvator, salva nos (ex Horologio).

Indulgentia trecentorum dierum.

35

Sanctissima Dominatrix, Dei Genitrix, ora pro nobis peccatoribus.

Indulgentia trecentorum dierum.

36

Omnem fiduciam meam in te pono, Mater Dei, custodi me sub tuo praesidio (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

37

Gloriosissima semper Virgo, Mater Christi Dei, offer nostram orationem Filio tuo et Deo nostro, ut salvet per te animas nostras (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

38

Dignum est certe te laudare, Dei Genitrix, quae semper beatificanda es, et ab omni noxa exempta, quae mater es Dei nostri. Quae prae Cherubim veneranda et Seraphim sine comparatione gloriosior es, quae citra

corruptionem Deum Verbum peperisti, te, quae vere es Deipara, magnificamus (ex *Horologio*).

Indulgentia quingentorum dierum.

Indulgentia plenaria suetis conditionibus, si quotidie per mensem oratio recitata fuerit.

39

Quae prae Cherubim veneranda et Seraphim sine comparatione gloriosior es, quae citra corruptionem Deum Verbum peperisti, te, quae vere es Deipara, magnificamus (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

40

In te laetatur, gratia plena, omnis creatura, Angelorum chorus et humanum genus, tu templum sacratum et paradisus speciosus, virginum gloria, ex qua Deus incarnatus est et puer factus est qui ante saecula existit Deus noster; uterum enim tuum altare fecit et ventrem tuum ampliorem coelis condidit. In te laetatur, gratia plena, omnis creatura, gloria tibi (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

Indulgentia plenaria, suetis conditionibus, si quotidie per mensem integrum oratio recitata fuerit.

41

Dei Genitrix Virgo, ave, gratia plena, Maria, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, quia peperisti Christum Salvatorem, redemptorem animarum nostrarum (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

42

Ad Dei Genitricem cum ardore curramus, peccatores et humiles, et ad eius pedes provolvamur, poenitenter clamantes ex imo animae: Dominatrix, succurre, erga nos miserans; festina quia propter multitudinem peccatorum perimus; ne servos tuos remittas vacuos; te enim ut unicam mediatricem habemus (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

43

Numquam desinemus, Dei Genitrix, tuam potentiam enarrare nos indigni; quia, si tu non intercederes supplicans pro nobis, quis nos salvaret ex tot periculis? quis nos servaret adhuc liberos? Non derelinquemur

a te, Dominatrix, tuos enim servos salvas semper ab omnibus periculis, sola benedicta (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

44

Protectio christianorum inconfundibilis, mediatrix apud Creatorem immutabilis, noli despicere peccatorum supplicantium voces, sed praeveni, tamquam bona, in auxilium nos qui fideliter clamamus ad te : festina ad intercedendum et propera ad supplicandum, tu quae semper protegis, Deipara, colentes te (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

Indulgentia plenaria, suetis conditionibus, si quotidie per integrum mensem oratio recitata fuerit.

45

Non habemus adiutorium aliud, non habemus spem aliam, nisi te, purissima Virgo. Tu nos adiuva, in te speramus et per te glorificamur; servi tui sumus, ne confundamur (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

46

Sanctissima Deipara, tempore vitae meae ne derelinquas me; humanae protectioni ne confidas me, sed ipsa opitulare, et miserere mei (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

47

Quae altior est coelis et purior solis radiis, quae nos salvavit a maledictione, Dominatricem mundi hymnis honoremus (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

48

Fidelibus, qui mense augusto pio exercitio in honorem sanctae Mariae Dei Genitricis publice *peracto devote interfuerint conceditur:*

Indulgentia septem annorum quolibet mensis die:

Indulgentia plenaria si diebus saltem decem huiusmodi exercitio vacaverint et praeterea sacramentalem exomologesim instituerint, ad sacram synaxim accesserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint.

49

Fidelibus, qui Acoluthiam Paraclisis vel Hymnum Acathistum in honorem S. Mariae Dei Genitricis devote recitaverint, conceditur:

Indulgentia decem annorum.

50

Omnes virtutes coelestes, sancti Angeli et Archangeli, orate Deum pro nobis peccatoribus (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

51

Sancti, gloriosi apostoli, prophetae et martyres, et omnes Sancti, orate Deum pro nobis peccatoribus (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

52

Sancte, magne Ioannes, propheta et praecursor et baptizator Domini, ora Deum pro nobis peccatoribus (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

53

Cum spiritibus iustorum dona requiem, Salvator, animabus (animae) defunctorum famulorum tuorum (famularum tuarum, famuli tui *N.*, famulae tuae *N.*), servans eos (eum, eam, eas) in beatam vitam quae apud te est, hominum amator (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

54

In requie tua, Domine, in qua omnes sancti tui requiescunt, dona requiem animabus famulorum tuorum (famularum tuarum, animae famuli tui *N.*, animae famulae tuae *N.*), cum sis solus hominum amator (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

55

Tu es Deus qui ad inferos descendisti et catenas compedibus vinctorum solvisti, ipse etiam animabus famulorum tuorum (famularum tuarum, animae famuli tui *N.*, animae famulae tuae *N.*), dona requiem (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

56

Sola pura et immaculata Virgo, quae Deum absque semine peperisti, ora ut salvet animas eorum (animam eius) (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

57

Cum sanctis dona requiem, Christe, animabus famulorum tuorum (famularum tuarum, animae famuli tui *N.*, animae famulae tuae *N.*), ubi non est dolor neque luctus neque gemitus, sed vita sine fine (ex *Horologio*).

Indulgentia trecentorum dierum.

58

In beata dormitione requiem aeternam dona, Domine, semper memorandis famulis tuis (memorando famulo tuo, memorandae famulae tuae), et fac eis (ei) memoriam aeternam (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

59

Memoria aeterna! (ter) (e *Liturgico*).

Indulgentia trecentorum dierum.

60

a) Gloria Iesu Christo = Gloria in saecula.
b) Christus resurrexit = Revera resurrexit.
c) Christus nascitur = Glorificate eum.
d) Christus inter nos = Est et erit.

Fidelibus, quoties se invicem salutaverint sub aliqua ex praefatis vel similibus formulis, conceditur:

Indulgentia trecentorum dierum:
Indulgentia plenaria suetis conditionibus semel in mense, si habitualiter pia praxis servata fuerit.

61

Fidelibus devote deosculantibus in publica ecclesia vel oratorio sacras Imagines Domini Nostri Iesu Christi, B. V. Mariae, nec non Sancti Titularis ecclesiae et Sancti cuius festum celebratur, conceditur:

Indulgentia trecentorum dierum.

62

Fidelibus, qui materiam sacrificii missae animo devoto offerunt, conceditur:

Indulgentia septem annorum.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

SANCTI DEODATI seu NANCEIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE TERESIAE A IESU, IN SAECULO ALEXIAE LE CLERC, FUNDATRICIS CANONISSARUM REGULARIUM S. AUGUSTINI CONGREGATIONIS NOSTRAE DOMINAE.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum, TUTO *procedi possit ad sollemnem eiusdem Venerabilis Servae Dei Beatificationem.*

Angelicus Doctor quaestionem sibi proponens: « Utrum vita activa sit maioris meriti quam contemplativa », respondet hanc, quae « directe et immediate pertinet ad dilectionem Dei... ex suo genere esse maioris meriti quam activa ». Verum subdit: « Potest tamen contingere quod aliquis in operibus vitae activae plus mereatur quam alius in operibus vitae contemplativae; puta si propter abundantiam divini amoris, ut eius voluntas impleatur, propter ipsius, gloriam, interdum sustinet a dulcedine divinae contemplationis ad tempus separari; sicut Apostolus dicebat: (*Rom.* 9, 3) *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* » (2-2, 182, 2): et sub praecedentis articuli finem: « Ad opera vitae activae, scribit, interdum aliquis a contemplatione avocatur propter aliquam necessitatem praesentis vitae, non tamen hoc modo, quod cogatur aliquis totaliter contemplationem deserere ».

Ven. Maria Teresia a Iesu, animarum zelo atque ardentissima in Deum caritate succensa, mirum activae simul ac contemplativae vitae exemplar se ostendit, pro Dei gloria a divinae contemplationis dulcedine ad tempus separari sustinens, in spirituale praecipue puellarum bonum incumbendo, sed non avulso animo a Deo. Sub S. Petri Fourier spirituali regimine et nonnullorum e Societate Iesu sodalium cooperatione, Ordinem Canonissarum Regularium a S. Augustino Congregationis Nostrae Dominae instituit, prudentissimisque regulis munivit. Plurimas passa est contradictiones, plurimos animi angores, nec calumniae defuerunt, quae omnia, Deo confisa, fortiter superavit.

Die 9 Ianuarii a. 1622, ad caelestis Agni nuptias invitata, animam Deo reddidit.

Leo XIII fel. rec. die 21 Februarii mensis a. 1899 huius Dei Famulae Beatificationis Causae Introductionis Commissionem signavit. Heroicas exercuisse virtutes per S. huius Congregationis decretum die 3 Aprilis a. 1932 editum constat: item constat de tribus miraculis a Deo, ea interveniente patratis, ex decreto diei 21 Martii anni huius.

Unum itaque supererat discutiendum dubium: *An stante virtutum ac trium miraculorum approbatione* TUTO *procedi possit ad sollemnem eiusdem Venerabilis Beatificationem.* Quod dubium in Generalibus S. R. C. Comitiis, die 4 Maii mensis huius anni, coram Ssmo D. N. Pio Papa XII habitis, Rmus Cardinalis Eugenius Tisserant, Causae Ponens seu Relator, proposuit.

Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores unanimiter in affirmativum suffragium concessere. Beatissimus tamen Pater decretoriam sententiam edere distulit donec, communibus adstantium precibus, maius a Deo lumen imploraretur.

Statuit autem suam mentem hodierno die aperire. Eapropter Sanctitas Sua, sacrosanto Missae sacrificio religiosissime litato, convocatis Rmis Cardinalibus Eugenio Tisserant, Causae Ponente, et infrascripto S. R. C. Praefecto, nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore generali meque Secretario, pronunciavit: TUTO *procedi posse ad sollemnem Venerabilis* MARIAE TERESIAE A IESU, *in saeculo Alexiae Le Clerc, Beatificationem.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. Rituum Congregationis referri, nec non litteras Apostolicas sub anulo Piscatoris de sollemnibus Beatificationis, in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis, expediri mandavit.

Datum Romae, die 20 Iunii, in festo Ssmae Trinitatis, anno Domini 1943.

✠ C. Card. SALOTTI, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

DECRETUM

DE SACRIS OLEIS ANNO MCMXLIII CONFECTIS

Cum in tanta rerum publicarum perturbatione, variis de causis, pluribus in locis olivarum oleum ad Sacrum Chrisma, Catechumenorum atque Infirmorum Oleum conficiendum, congrua quantitate vix haberi possit, Sacra Rituum Congregatio huic difficultati, meliori quo fieri potest modo, occurrere volens, statuit, ut in dioecesibus, ubi novum oleum debita quantitate comparari nequeat, confectis de more ab Episcopis Feria V in Coena Domini, iuxta Pontificale Romanum inter Missarum solemnia Sacris Oleis, vetus Chrisma et Catechumenorum atque Infirmorum Oleum non comburatur, sed Sacri Ministri eodem usque ad consummationem uti pergant, quo exhausto, nova Sacra Olea adhibeant. Praesens autem indultum hoc dumtaxat anno valiturum declarat.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 28 Ianuarii 1944.

✠ C. Card. SALOTTI, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

29 dicembre 1943. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Carlo Salotti, *Protettore della Società Salesiana di S. Giovanni Bosco.*

14 febbraio 1944. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Elia Dalla Costa, *Protettore della Congregazione delle Suore Maestre di S. Dorotea, Figlie dei Sacri Cuori, con la Casa Generalizia a Vicenza.*

Assistenti al Soglio Pontificio:

19 marzo 1943. S. E. Revma Monsig. Michele Antonio Mejía, Vescovo di Guayana.

24 dicembre » S. E. Revma Monsig. Antonio Papp, Arcivescovo tit. di Cizico, Esarca Apostolico di Miskolc.

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

14 settembre 1943. Monsig. Luigi Cavazza, dell'archidiocesi di Gaeta.

23 dicembre » Monsig. Giuseppe Trikàl, dell'archidiocesi di Strigonia.

29 gennaio 1944. Monsig. Giovanni Agostino Vigliero, della diocesi di Lafayette.

Prelati Domestici di Sua Santità:

4 luglio 1942. Monsig. Agostino Dokupil, della diocesi di Neosolio.

26 ottobre » Monsig. Francesco Vives Estévez, dell'archidiocesi di Santiago del Chile.

» » » Monsig. Enrico Valenzuela Donoso, della medesima archidiocesi.

14 dicembre » Monsig. Arturo H. Ryan, della diocesi di Down e Connor.

30 marzo 1943. Monsig. Felice Cabrera Ferranda, dell'archidiocesi di Santiago del Chile.

30 marzo 1943. Monsig. Alessandro Fernández Feo, dell'archidiocesi di Caracas.
» » » Monsig. Mario Raffaele Tortolero, della medesima archidiocesi.
10 settembre » Monsig. Giuseppe Mejer, della diocesi di Basilea.
29 dicembre » Monsig. Girolamo Ambrogio Rapp, della diocesi di Galveston.
» » » Monsig. Giuseppe Luigi Valenta, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Mario Stefano Chataignon, della medesima diocesi.
4 gennaio 1944. Monsig. Giovanni Calleri, della diocesi di Mondovì.
28 » » Monsig. Giovanni Mason Connor, della diocesi di Oklahoma.
» » » Monsig. Giacomo Arturo Garvey, della medesima diocesi.
29 » » Monsig. Emilio Ivanovich, dell'archidiocesi di Agria.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

17 dicembre 1943. Al sig. dott. Alceo Amoroso Lima (Brasile).
4 febbraio 1944. Al sig. prof. Giorgio Szoldatics (Roma).

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

3 dicembre 1942. Al sig. ing. Paolo Maria Giuseppe Thibault, della diocesi di Arras.
15 settembre 1943. Al sig. Alvaro Pietro de Sousa, del Patriarcato di Lisbona.
20 ottobre » Al sig. Mario Lissone, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Al sig. Giuseppe Vismara, della medesima archidiocesi.
30 » » Al sig. avv. Eugenio Quaini, della diocesi di Cremona.
7 dicembre » Al sig. Guglielmo Galletti, dell'archidiocesi di Firenze.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

30 settembre 1941. Al sig. Michele Saralegui, della diocesi di Salto.
4 luglio 1942. Al sig. dott. ing. Enzo Marcucci (Roma).
» » » Al sig. dott. ing. Mario Redini (Roma).
29 ottobre » Al sig. Amedeo Baboin, dell'archidiocesi di Lione.
» » » Al sig. Augusto Poncet, della medesima archidiocesi.
7 » 1943. Al sig. Filippo Casa (Roma).

10 novembre 1943. Al sig. Acacio Ney, dell'archidiocesi di Strigonia.
» » » Al sig. Francesco Mengl, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Luigi Kleïsz, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Giuseppe Szabò, della medesima archidiocesi.
11 dicembre » Al sig. Boezio Anderlini (Roma).

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

26 novembre 1943. Al sig. prof. dott. Pasquale Pozzi, della diocesi di Como.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

20 dicembre 1943. Al sig. Augusto Mariotto, della diocesi di Verona.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

14 ottobre 1943. Al sig. prof. dott. Francesco Leoncini, dell'archidiocesi di Firenze.
6 novembre » Al sig. dott. cav. Enriço Soverini, dell'archidiocesi di Bologna.
12 » » Al sig. Pasquale Jaderosa (Roma).
23 » » Al sig. cav. Giovanni De Rossi (Roma).
24 » » Al sig. Ruggero Mario Ariani (Roma).
» » » Al sig. Enrico Barbazza, della diocesi di Piacenza.
2 dicembre » Al sig. dott. Luciano Chianese (Roma).
3 » » Al sig. rag. Luigi Casati, della diocesi di Verona.
4 » » Al sig. avv. Giuseppe Scifoni (Roma).
7 » » Al sig. dott. prof. Alberto Filippi (Roma).
» » » Al sig. dott. prof. Emmanuele Ugo Scavo (Roma).
8 gennaio 1944. Al sig. Angelo Forneris, della diocesi di Chiusi.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

18 dicembre 1941. Al sig. Raffaele Hanna el Sheik, dell'archidiocesi di Bagdad dei Siri.
» » » Al sig. Gabriele Hanna el Sheik, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Michele Hanna el Sheik, della medesima archidiocesi.
28 gennaio 1943. Al sig. Luigi Nardín Rivas, dell'archidiocesi di La Paz.
13 aprile » Al sig. Geisa Radványi de Hollòháza, della diocesi di Cassovia.
7 ottobre » Al sig. dott. Carlo Matteucci, dell'archidiocesi di Lima.
» » » Al sig. dott. Aldo Viviani (Roma).
» » » Al sig. Giuseppe Cavaniglia (Roma).
» » » Al sig. Emilio dei conti Bernetti Evangelista (Roma).

7	ottobre	1943.	Al sig. Camillo De Vecchi (Roma).
»	»	»	Al sig. Edgardo Sebastiani (Roma).
»	»	»	Al sig. rag. Ettore Venturini (Roma).
12	novembre	»	Al sig. Alceste Rossoni (Roma).
17	»	»	Al sig. Giovenale Durante (Roma).
23	»	»	Al sig. Nullo Vittorio Sala, della diocesi di Como.
24	»	»	Al sig. Romolo Flamini (Roma).
4	dicembre	»	Al sig. Rizziero Lunghi (Roma).
6	»	»	Al sig. Vittorio Magnanini, della diocesi di Guastalla.
»	»	»	Al sig. Tommaso Del Bufalo, della diocesi suburbicaria di Sabina e Poggio Mirteto.
10	»	»	Al sig. Luca Olgiati, dell'archidiocesi di Milano.
»	»	»	Al sig. Ludovico Gaggi, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Al sig. Antonio Croci, della medesima archidiocesi.
8	gennaio	1944.	Al sig. Ulpio Petrazzini, della diocesi di Chiusi.
14	»	»	Al sig. dott. Raffaele Cerciello (Roma).
24	»	»	Al sig. dott. Giuseppe Marziale (Roma).
8	febbraio	»	Al sig. Amedeo Fabi, della diocesi di Tivoli.

NECROLOGIO

28	ottobre	1943.	Monsig. Lodovico Nestore Renault, Vescovo tit. di Antifre e Vicario Apostolico di Suifu.
24	dicembre	»	Monsig. Giacomo McCarthy, Vescovo di Galloway.
25	»	»	Monsig. Ignazio Giuseppe Shanahan, Vescovo tit. di Abila di Lisania.
29	»	»	Monsig. Francesco Saverio de Irastorza Loinaz, Vescovo di Orihuela.
3	gennaio	1944.	Monsig. Giuseppe Hammels, Vescovo tit. di Soli.
5	»	»	Monsig. Paolo Maria Ramond, Vescovo tit. di Linoe.
8	»	»	Monsig. Giacinto Tamburini, Vescovo di Calvi e Teano.
13	»	»	Monsig. Giacomo Hartley, Vescovo di Columbus.
28	»	»	Monsig. Raffaele Santi, Arcivescovo tit. di Ossirinco.
1	febbraio	»	Monsig. Prospero M. Gustavo Bernardi, Vescovo tit. di Palto.
9	»	»	Monsig. Vincenzo Scozzoli, Vescovo di Rimini.
17	»	»	Monsig. Emilio Cecco, Vescovo tit. di Letopoli.

ANNUARIO PONTIFICIO

PER L'ANNO 1944

Ritratto di S. S. Pio XII e stemma a colori, pp. 1263 - Legatura in tela, titolo in oro.

La serie dei Romani Pontefici - La Gerarchia Cattolica: Pontefice regnante - Collegio dei Cardinali - Patriarcati - Arcivescovati e Vescovati residenziali - Arcivescovati e Vescovati titolari - Abbazie e Prelature Nullius - *Amministrazioni Apostoliche* ad nutum Sanctae Sedis - *Prelati di rito orientale con giurisdizione ordinaria - Vicariati Apostolici - Prefetture Apostoliche - Missioni e Distretti* sui iuris - *Custodia di Terra Santa - Religiosi - La Curia Romana - Sacre Congregazioni - Tribunali - Uffici - Rappresentanze della Santa Sede - Corpo diplomatico presso la Santa Sede - Commissioni permanenti - La Cappella Pontificia - La Famiglia Pontificia - Elemosineria Apostolica - Uffici e amministrazioni Palatine - Ordini equestri - Stato della Città del Vaticano.*

APPENDICE: *Vicariato di Roma - Vicariato della Città del Vaticano - Istituti di studi superiori - Accademie Pontificie - Istituti Ecclesiastici di educazione e di istruzione - Seminari - Collegi ecclesiastici - Collegi di religiosi - Ospizi - Istituto per le Opere di Religione - Elenchi alfabetici degli appartenenti alla Cappella e alla Famiglia Pontificia - Elenco alfabetico degli Ordini, Congreg. e Istituti Religiosi Femminili di Diritto Pontificio - Dati statistici - Distribuzione geografica delle Sedi residenziali, Vicariati e Prefetture apostoliche, ecc. - Riti - Elenco alfabetico dei nomi* de Curia - *Elenco alfabetico dei nomi latini degli Ordini, Congr. ed Istituti Religiosi - Sigle dei Religiosi - Dignitari defunti - Indice alfabetico dei nomi delle persone - Indice delle materie - Indice schematico del volume.*

In Italia L. 100 Estero L. 106 franco di porto

CODIFICAZIONE CANONICA ORIENTALE. FONTI

Serie II. Fasc. VII. **Textus selecti iuris ecclesiastici Russorum.** In-8°, pag. XII-387 L. 100 —

— Serie II. Fascicolo XXVIII. **Disciplina antiochena antica. Siri.** IV. Lieux et temps sacrés; Culte divin; Magistère ecclésiastique; Bénéfices et biens temporels; Ecclésiastiques. Avec introduction par le Chorevêque PAUL HINDO . . . . . L. 250 —

— Serie II. Fascicolo XXX. CARLO DE CLERCQ. **Les textes juridiques dans les Pandectes de Nicon de la Montagne Noire.** Pag. 93 . . . . . L. 40 —

— Serie III. Vol. I. **Acta Romanorum Pontificum.** A S. Clemente I (an. c. 90) ad Coelestinum III († 1198). T. 1. Introductio, textus actorum, additamentum, appendix. Pp. I-LXIV, 1-946 . . . . . L. 550 —

— Serie III. Vol. II. **Indices.** Pp. 947-1255 . . . . . L. 150 —

INDEX VERBORUM CODICIS IURIS CANONICI

Ab ARCTURO LAUER Heidelbergensi digestus

Typis Polyglottis Vaticanis MCMXXXXI. In-8° gr. Pp. XXXVI-936. Volumen partim corio partim linteo contectum L. 700

Index verborum Codicis Iuris Canonici eundem finem prosequitur, quem notissimae *Concordantiae Sacrorum Librorum Vulgatae Editionis* consimilesque concordantiae Textus Hebraici Sacrorum Librorum et versionis Septuaginta Interpretum. Partes tamen orationis in septem series digestae sunt; sub singulis autem vocabulis, alphabetico ordine in unaquaque serie dispositis, omnes enumerantur Codicis loci, in quibus illa recurrunt. Dum vero in memoratis concordantiis omnes quidem loci typis continuatim scripti sunt, sed praepositiones et ceterae particulae omissae, ne iam grande volumen litterarum copia nimis augeretur, Auctor *Indicis* ne minimam quidem particulam praetermisit, semel tantum vocabulum seu dictionem rescribendo atque omnes locutionum formas grammaticales ac syntacticas structuras per plura signa notando, vestigiis insistens C. Gradenwitz celebris iurisconsulti, qui *Indicem Codicis Theodosiani* aliosque rerum iuridicarum indices digessit, ita ut voluminis moles quam potissimum deminuta sit laborque investigationum allevatus, quippe quum, signis semel intellectis, ceteros locos, qui iuxta eadem signa ad rem non faciant, inspici non oporteat.

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"**
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/₀ postale N. 1-16722)

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
MISSAE DEFUNCTORUM EX MISSALI ROMANO DESUMPTAE. ACCEDIT RITUS ABSOLUTIONIS PRO DEFUNCTIS EX RITUALI ROMANO. Editio quinta iuxta typicam. Typis Polyglottis Vaticanis MCMXLIII. In-4°. In fogli piegati e fasciati	30 —	30 —	35 —
— Legato in tela, con croci in oro sui piani, segnacoli, ecc.	60 —	60 —	68 —
Sanctissimi Domini Nostri PII Divina Providentia Papae XII LITTERAE ENCYCLICAE ad Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes itemque ad universum clerum et Christifideles catholici orbis DE SACRORUM BIBLIORUM STUDIIS OPPORTUNE PROVEHENDIS.	3 —	3,50	4 —
— Le versioni: italiana, francese, tedesca, inglese e spagnola. Caduna	3 —	3,50	4 —
L'ATTIVITÀ DELLA SANTA SEDE dal 15 dicembre 1940 al 15 dicembre 1941 (Non ufficiale). Tip. Poliglotta Vaticana, 1942. In-12°, pag. 93	5 —	5,50	6,25
— Dal 15 dic. 1941 al 15 dic. 1942 (Non ufficiale). In-8°, pag. 156 . . .	12 —	13 —	14 —
— Dal 15 dic. 1942 al 15 dic. 1943 (Non ufficiale). In-8°, pag. 196 . . .	25 —	28 —	30 —
VALÉRIEN MEYSZTOWICZ. **LA RELIGION DANS LES CONSTITUTIONS DES ÉTATS MODERNES** (Recueil de textes, analyse, essai de synthèse). In-8°, pag. XXIV-485	60 —	65 —	70 —
VALERIANUS MEYSZTOWICZ. **REPERTORIUM BIBLIOGRAPHICUM PRO REBUS POLONICIS ARCHIVI SECRETI VATICANI.** In-8°. pag. 28	10 —	10 —	12 —
DE SACRIS SANCTORUM RELIQUIIS cum peculiari respectu ad lipsanothecas Episcopales et Maiorum Ecclesiarum, auctore FRANCISCO H. FERRETTI, Proton. Apostolico. In-8°, pag. 30	3,50	4 —	4,25
BEATUS INNOCENTIUS PP. V. PETRUS DE TARANTASIA O. P. **Studia et documenta.** Prefazione di Fr. M. S. GILLET, O. P. Mag. Gen. 1943. In-8°, pag. VIII-498 con 8 tavole	100 —	103 —	108 —
GONELLA GUIDO. **PRESUPPOSTI DI UN ORDINE INTERNAZIONALE.** Note ai Messaggi di S. S. Pio XII (Seconda edizione). In-8°, pag. 334	40 —	40 —	45 —
OTTAVIANI MONS. ALFREDO **LUCE DI ROMA CRISTIANA NEL DIRITTO** In-12°, pag. 65	10 —	11 —	12 —
REGULAE SERVANDAE in iudiciis apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, promulgatae die VI mensis Martii MCMXII (Nova impressio)	10 —	10 —	11 —
PICCOLO LIBER CANTUS. Manuale di canto liturgico per uso parrocchiale dei fedeli, degli istituti e delle Associazioni di Azione Cattolica. IV Ediz. mm. 150×94; pp. 606 (N. 42 della biblioteca ceciliana di propaganda dell'A. I. S. C.)	15 —	15,80	19 —

PICCOLO MANUALE DI PREGHIERE. Città del Vaticano; Pia Società di S. Girolamo per la diffusione dei Santi Vangeli, Editrice. Pag. 80 e copertina.
Presso la Sede della Società (Libreria Vaticana) L. 0,90
In Roma ed in Italia L. 1 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "**Acta Apostolicae Sedis**„
(*Libreria Vaticana - Città del Vaticano — c/c postale N. 1-16722*)